



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XIII. Quomodo susceptus sit apud Pirissam ciuitatem Ducis, & quid ibi  
fecerit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

Quomodo susceptus sit apud Pirissam ciuitatem Ducis, & quid ibi fecerit.

## CAPVT XIII.

*Sofridus.*

*Festum Ethnicum.*

*Legatio ad incolas Pirissæ.*

*Cur Otho aduenit.*

*Quis, & quantum.*

*Terguerantur Pirissenses.*

*Instant Legati.*



Nde ad castrum Ducis Pirissam vndecima hora diei propinquantes; ecce illic hominum ad quatuor millia ex omni prouincia confluisse, veteramus eminus, conspeximus. Erat enim nescio quis festus dies paganorum; quem lusu, luxu cantuque gens vesana celebrans, vociferatione alta nos reddidit attonitos. Non igitur vtile vel cautum nobis visum illa nocte in turbam potu lætitiæque feruentem nos insolitos hospites aduenire, sed manentes, vbi fuimus, noctem illam in somnem duximus, nec ignem in castris habere ausi, nec verbis apertioribus ad inuicem loqui præsumentes.

Manè verò Episcopus Paulitium, & nuncios Vratislai ad castrum mittit. At illi salutatis maioribus ex nomine Ducum, ab eis missum nunciant Episcopum, qui fidem & religionem Christianam terræ illi debeat prædicare, atque sub eorundem auctoritate, mandant & suadent, vt dignè ac reuerenter susceptum audiant; addentes, virum esse honorabilem, domi diuitem, & nunc quoque in aliena terra suis opibus sufficientem; nihil illum petere, nullius egere, pro illorum salute aduenisse, non quæstus gratia: Memores sint fidei ac sponsonis suæ, memores diuinæ vltionis & recentis exterminij, ne denuo iram Dei exasperarent, orbem vniuersum Christianis legibus deditum, se solos vniuersitati resistere non posse.

At illi diu cunctabundi, & diuersas excusationes molientes, indulgentiam temporis consilio petunt, non oportere dicentes rem tam grandem subitò aut inconsultè aggredi. Paulitius verò ac legati astu ea dici animaduertentes; Non, inquit, tempus est productioris consilij, quod facturi estis, facite citius. Ecce, iuxta est: serò ad vos intraturus erat Dominus Antistes: sed quia

quia ludo & iocis occupatos animaduertit, distulit intrare, in campo figens tentoria. Sed vestra hoc conuenit prudentia, vt non illum despectina dilatione contristetis, ne fortè & Domini Duces se doleant super hoc iniuratos. *Et est*, inquit, *ram prope?* Quibus, ita esse, respondentibus; & *omnia*, inquit, *consilia nostra ruptum eunt.* Quomodo ergò rerum conuenientia postulat, sic faciamus sponte & alacres, quod facturi sumus. Nam & altissimus Deus sua nos virtute circumuentos vndiq; trahere videtur. Declinare non possumus: sequamur ergò trahentem ad vitam, ne reluctantes bonitati eius, precipitemur in mortem. *Dij nostri, sicut apparet, Dij non sunt: contra eum nos iuuare non possunt.* Melius ergo est, vt relictis desertoribus, ad verum Deum, qui non deserit sperantes in se, ex toto transeamus.

Verùm vbi eam sententiam tam bonam, tamque salubrem diligenti retractatione probauerant, primò quidem apud se in conclaui, deinde verò cum Legatis & Paulitio ad plenum vigorem laxiori consilio firmauerant, cum eisdem ad populum egressi, qui, sicut ad festum confluerat, còtra morem, indispersus, Dei nutu, in loco manebat, nec in rus discesserat, iuculenti sermonis dulcedine multo beneuolentia capti, eos de hoc Verbo allocuti sunt. Sed quid multa? Mirum dictu, quam subito, quam facili consensu omnis illa multitudo populi, auditis primatum verbis, in eandem sese conuenientiam inclinauerit. Et quia dici audiunt, Episcopum in proximo esse, facto ingèti clamore, vt aduocetur, rogant, quò illum videre queant & audire, antequam soluto coetu singuli in loca sua discedant. Redeuntibus itaque Paulitio & Legatis, abierunt quidam de Castellanis cum eis ad Episcopum; qui obnixa veneratione ad se illum inuitarent salutatum ex parte nobilium, plebisque vniuersæ, quique fidem facerent, sine omni periculo vel iniuriæ metu, eum adscendere posse: quin etiam in omnibus ei obedituros se ex animo.

Episcopus verò tam quieto successu rebus se promouentibus, gratias agens Deo, ad castrum se leuabat: sed ecce, vbi quadrigas, vehicula & Sagmarios nostros vidualia portantes, iumenta quoque & populum, qui nobiscum veniebat, e minus videre cœperunt, quasi apparatus belli suspicantes,

h 2 modi-

*Pirissenses  
dant manus.*

*S. Orbonem  
aducans.*

*Turbantur ob  
Episcopi nu-  
merosum co-  
mitatum.  
Sed mox pa-  
cantur.*

modicum turbati sunt. Re autem, sicut erat, rectè agnitâ, pa-  
uore abiectò, in modum torrentis, omnis populus in occur-  
sum nostrum effunditur ambiens & circundans, admirans &  
contemplans, & nos & omnia nostra, vsque ad hospitij locum  
nos conducendo. Fuit autem ante introitum Castri area  
spatiosa, quam occupantes fiximus tentoria in eodem loco,  
ipsis Barbaris mansuetè ac familiariter adiuuantibus, & in om-  
nibus se nobis opportunos exhibentibus.

*De inceptioe sermonis in eodem loco.*

CAPVT XIV.

*Sefridus.*

*Oratio S. Otho-  
nis ad Pirif-  
enses.*

*Omnes Chri-  
stianam reli-  
gionem ample-  
cti solunt.*

**N**terea verò Episcopus Pontificalibus indutus,  
monente Paulitio & primatibus, de loco editio-  
ri populum cupientem ore alloquitur interpre-  
tis ita dicens; *Benedictio Domini super vos: Benedi-  
cti vos à Domino: Benedicimus & gratias vobis referimus in nomine Do-  
mini; quia, grata & iucunda, & benigna susceptione nos resouisti. Et  
causa quidem aduentus nostri ad vos qua sit, fortè iam audistis, & iterum,  
si dignamini, audire debetis, & diligentius attendere. De via longa veni-  
mus: salus vestra; beatitudo vestra; gaudium vestrum, tanta nobis via cau-  
sa fuit. Nam salui, leti, atq; beati eritis eternaliter, si creatorem vestrum  
agnoscere, & illi soli seruire vultis.*

Hæc & his similia, quæ inserere studio breuitatis omitto,  
populo rudi simpliciter euangelizante Pontifice, omnis illa  
multitudo quasi vnus homo fidei sanctæ concordantes illius  
doctrinæ se commiserunt. At ille cum Clericis & Sacerdoti-  
bus septem diebus eos catechizans, & de omnibus, quæ Chri-  
stianæ religioni conueniebant, diligentissimè instruens, indi-  
cto trium dierum ieiunio, iussit, vt corpora sua balneis munda-  
rent, lotis albisque induti vestibus mundo corde &  
corpore mundoque habitu ad sanctum ba-  
ptisma concurrerent.

*De*